

sa; & res illa necessariò producta similiter non diceretur effectus, quia esset limitata, & finita quamvis ille influxus non esset defectibilis, quia opinia perfecta Dei sunt opera ut ait Psalmonographus; non quia ex parte causæ, quia perfectissima est, non ex parte rei productæ, quia esset immediate a Deo; ergo &c.

Respondeo duplè, esse defectibilitatem, vna est intrinseca, extrinseca altera; extrinsecam voco illam, quæ prouenit a causa indifferenti, vel libera, ut producat; intrinseca prouenit ab ipsa entitate rei, quæ de se est indifferens, ut existat, vel non, vel ad existendum, vel non existendum, quia ex prædicatis essentialibus eius non illi repugnat existere, vel non existere, nec essentialiter dicit actum existere, hæc defectibilitas intrinseca est ratio constitutiva effectus, quæ illi rei productæ conueniret; quia etiam si illa res producta non posset deficere, non conueniret illi ex sua natura, sed ratione agentis illam necessariò producentis. Influxus autem per quem Verbum producitur [si rigorosè influxus vocandus sit, an secundum quid] & Verbum productum ex sua natura, & intrinseca entitate deficere non potest, & defectibilitas illi ex suis prædicatis intrinsecis repugnat, non quia principium illud productuum necessariò produceret, sed quia ipsum ex sua natura intrinsecè indefectibile est; in forma ergo ad argumentum, nego antecedens; ad cuius probationem dico falsum esse quod per alias particulas ab influxu defectibilitatis explicata sit natura cause & effectus, quando illa particula, necessariò ponenda sit ad demonstrandam naturam cause creatæ de qua loquor, non de increata, de qua est hypothesis argumenti, & sic nulla est consequentia.

Obijctes 2. iuxta Thomistarum doctrinam; actio creativa identificatur cum Deo; ergo influxus, quo Deus influit in rem creatam, cum ipso Deo identificatus erit; at qui Deus indefectibilis est; igitur & influxus, atque ad eo definitio allata n. 7. non est bona, quia non conuenit omni causæ, quomodo est de ratione rectæ definitionis.

Respondeo quod iuxta hanc sententiam, & doctrinam Thomistarum, bona, ac recta, & sine defectu est mea definitio supra posita sub n. 7. & conuenit causæ creatæ; quoniam illa actio creativa, quia Deus in creaturam influit, licet entitatius sit indefectibilis, formaliter tamen defectibilis est, videlicet quatenus ille influxus actualis deficere potest, quoad efficientiam, & terminationem, cum de facto Deus ab æterno habuerit hanc actio,

nem